



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ordinis || Praemon-||stratensis || Chronicon**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1613**

Avctor Lectori Candido S.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64313)

AVCTOR LECTO-  
RI CANDIDO S.



IRARI sæpè soleo, qui fa-  
ctum sit, vt cùm cæteris  
ferè religiosorum homi-  
num Ordinibus sui Præ-  
cones obtigerint, nemo  
extiterit hæctenus, qui  
Illustri familiæ Præmonstraten-  
sis res ge-  
stas literis consignaret. Quod quidem  
etsi lapsorum fortassè sæculorum infæli-  
citati, aut Maiorum nostrorum incuriæ  
adscribi queat, tamen quod bellicosus  
olim gentibus, idem Norbertinæ huic fa-  
miliæ aduersus carnem, Mundum, Dia-  
bolum, itemque hæreses ac corruptos ho-  
minum mores iam inde ab origine ad-  
modum strenuè decertanti, vsu venisse  
videtur; vt præclaras res gerere, quàm  
scribere gloriosius existimârit; Nam præ-  
ter cæterorum Religiosorum cœtuū mo-  
rem, hoc Præmonstratanis Canonicis pe-  
nè proprium ac perpetuum est, vt paraciis  
seu curis pastoralibus cùm in vrbibus,  
tum in pagis præfecti, cogitationes om-  
nes suas actionesque in procuranda suo-

*Cum Pra-  
monstr. &  
særes ab eis  
præclare ge-  
stas postelli-  
tati non  
transmissi-  
runt.*

A rum



*Cur auctor  
operi ma-  
tium admo-  
uere opera  
pretium du-  
xerit.*

rum salute subditorum defigant. Quo-  
niam itaque minus fortassè ipsis est inte-  
grum, illustria maiorum suorum facta  
varijs è locis librisque conquirere, videri  
queat id ipsum officij ratio à nobis postu-  
lare. Nemo enim est, qui nesciat, quan-  
tum B. Norberto, eiusque sodalibus Ec-  
clesia & Respub. nostra Antuerpiensis de-  
beat: quod quidem hic recensere quia  
prolixius foret, Chronicum nostrum ad  
annum 1124 Lector consulat Operæ au-  
tem pretium me facturum existimo, si  
pauca quædam hoc loco de Ordinis Nor-  
bertini instituto ac forma in communi  
dixero.

*Pramostran-  
senses pro-  
priè Cano-  
nici appel-  
lantur.*

Familia ergo Norbertina cœtus est nō  
Monachorum propriè, sed Canonicorū  
Ordinis S. Augustini. Hoc enim nomine  
appellatur, etsi alterum nequaquam as-  
pernatur aut reiiicit. Eius vita neque in  
sola contemplatione, neque in sola actio-  
ne, sed in ytraque simul posita est; nec suæ  
tantum, sed & alienæ salutis curam gerit.

*Paracijs seu  
curis pasto-  
ralibus præ-  
sunt.*

Habent ferè singula huius Instituti Mo-  
nasteria Paræcias sibi annexas plurimas,  
quibus Præfetti seu Pastores è numero  
Religiosorum dari solent. Quod vt huic  
Ordini inter cæteros penè est propri-  
um, sic & afflictæ Dei Ecclesiæ in hac

tanta



tanta bonorum Pastorum inopia quam maximè commodum. Iure itaque Norbertina Monasteria, sœcunda Parochorum siue Pastorum seminaria quis nuncupet.

Nam ut à Brabantia nostra exemplum sumamus. Sunt in ea Monasteria, quæ quindecim, alia viginti, nonnulla Pastores triginta, aut circiter emittunt, ut in Campaniæ nostræ Brabanticæ tractu hodie centum plus minus Pastores numeretur ex Brabantinis vicinisque Præmonstratensis Instituti Monasteriis profecti.

Cæterùm ut aliæ Religiones ferè, sic & Norbertina Odeum, seu chorù habet, & septies horas Canonicas die noctuq; decantat, utiturq; Breuiario seu officio Ecclesiastico proprio, atq; à Romano nonnihil diuerso, quod Lutetiæ Parisiorum identidem variâ forma, & nuper Lucæ in Moraniâ, iussu Abbatis Lucensis, in folio regiâ forma est excusum. Habet & Missale Breuiario suo conforme, itemque statuta seu leges distinctionibus seu libellis quadripartitis, typisque anno millesimo quingentesimo quinto eâulgatas. Solent autem Norbertini, ut hodie Carthusiani, perpetuò à carnibus abstinere certis anni

*Brabantia  
quàm frequens in  
emittendis  
Pastoribus  
Præmonstr.*

*Quo Breuiario  
Præmonstratenses  
utantur.*



*temporibus*, at hodie non, nisi certis anni temporibus.

*Gubernandi  
Ordinis ra-  
tio.*

Gubernationis porro hæc est ratio. Vniuersi ordinis Præfectus generalis & quasi Princeps hæreditarius est Abbas Monasterij Præmonstratensis, in Diœcesi Laudunensi à B. Norberto fundati, à quo & familia vniuersa cognomentum induit.

*Vnde nomē  
traxerit.*

Huius munus est, Prouincias omnes, quas *Circarias* vocant, obire, disciplinam collapsam instaurare, aliaque id genus ex Auctoritate præstare. Solet autem Abbas Præmonstrat. olim eligi ab Abbatibus Laudunensi, Floreffienli & Cuiſiacensi. Abbates autem huius Ordinis sunt perpetui, exceptis tamen Hispaniæ Abbatibus, qui non nisi triennio præsumt, quod Pontifex Max. & Rex Hispaniarum à triginta circiter annis certas ob causas constituerunt.

Confecrantur autem seu benedicuntur solenni ritu ab Episcopis, mitraque ac pædo pastorali, cæterisque Episcopalis dignitatis insignibus in sacris solennibus vtuntur, idque ex Indulto Apostolico, quod varijs temporibus singuli ferè Abbates à Romanis Pontificibus impetrarunt. Nam et si iam inde à primis Religionis exordiis plerorumque Monasteriorum Præfecti,

Abba



Abbates appellati sint, Episcopali tamen mitrâ olim haudquaquam vsos fuisse constat, idque vel ex Innocentii 3. diploma te Romæ, 4. Maij, anno 1198 dato, quod suo, à nobis, loco citabitur.

Porro communis omnium huius Ordinis Alumnorum vestitus est candidi coloris, vt iure CANDIDISSIMVS ORDO nominetur. In diuinis autem officiis induuntur & *superpellicio*, vt vocant, ex lino subtili.

Cur vero suos candidâ veste B. Norbertus vti voluerit rationes atque exempla aliquot sacris è litteris petit, vt videre est in Historia vitæ eius Cap. 24. Quamquam & illud hîc nequaquam est prætermittendum, quod vniuersi Ordinis Patres, vnanimiter asserunt, è cælis, scilicet à Deiparâ Virgine, ministerio Angelorum vestem cãdidam illi dimissam esse, iussuque se suosq; eã vestire. Quâ de re etsi vetustioris alicuius Scriptoris perspicuum testimonium nō viderim (vti multa à me nondum visa) perpetua tamen Patrum traditione id ipsum ad nostra vsque tempora manauit. Hinc in plerisque Præmonstratensis Ordinis Ecclesiis, picturas vetustissimas hoc ipsum exprimentes est videre. Sed & Ordinis huius Breuiariis

*Cur candido amictu vtantur Norbertini.*

*Quia illum à Deipara cepisse B. Norbertus traditur.*



Superiorum iussu editis, præfixa imago  
idem commonstrat, hac adhibita inscrip-  
tione.

*Cum Pater ad superos animum Norbertus ha-  
beret,*

*Et precibus peteret quo se velaret amictu  
Angelus accelerat cælo demissus ab alto,  
Induit & tunica niveo candore micante.*

Legitur & alterum ibidem F. Antoni  
Trumellij carmen rei plenum.

*Quam color gratæ Domino sit albus,  
Hinc patet, quando est oculos micantes  
Transfiguratus, niveasq; vestes  
Visus habere.*

*Angelos binos Maria in sepulchro  
Tot viros Christo redeunte in altum,  
Plurimi cernunt niveas habentes  
Vndiq; vestes.*

*Hinc Ioanni Dominus reuelat  
Vestibus multos niveis amictos  
Qui Deo dignas canerent in omni  
Tempore laudes.*

*Hac sativ gratum Domino colorem  
Candidum dicunt, simul hoc ab alto  
Missa Norbertopoteroit probare  
Candida vestis.*

Idipsum non in Gallia modò, sed in  
intima quoque Germania certum testa-  
tumque iam olim habitum, testis est

Caspar



Caspar Bruschius, qui in sua Monasteriorum Germaniæ Chronologia Urspergen-  
se Monasterium describens, hos verlicu-  
los interferit.

*Qui Christo intrepido pia pectore iura faten-  
tur,*

*Et Domini debent pascere ritè gregem,*

*Hos vita, certè integritas purissima, mentis*

*Candor, & ingenuus, dexteritasq; decent.*

*Hoc Regina poli voluens in pectora circum,*

*Qua Dominum vita, mater honesta tulit.*

*Pramonstratenses aterna lumina vita*

*Monstrantes, qua sit vitaq; grata Deo.*

*Pura vti voluit veste & candore notatâ,*

*Vt candorem animi significaret, opes*

*Mētis opes, quibus haud meliores sustinet orbis,*

*Quas quicumq; tenet, optima quæq; tenet.*

*Idcirco hanc olim à summo demisit Olympo,*

*Dixit, & hoc animi pignus habeto mei.*

*Sic ego candida cælorum Regina per orbis*

*Aethereos currus splendidiore feror,*

*Hoc meus est gnatus candore notabilis, omni*

*Nigritie cuius pectora sancta vacant,*

*Tales ipsius esse decet vos nempe ministros,*

*Quales hæc vestis vos monet atq; iubet*

*Neque verò quenquam mouere debet,*

*Scriptorem vitæ S. NORBERTI huiusce*

*rei non meminisse, cum idem ipse in sua*

*præfatione, (quæ in manuscriptis codici-*

bus



In vita S.  
Norberti  
cur auctor  
nonnulla  
pretermise-  
rit.

22. Ianuarij  
B. Hildepho-  
jus candida  
veste à Dei  
para cur do-  
natus.

Tutelares  
Omnis  
Præmon-  
stratens.  
Patroni.

bus passim extat, à Surio tamen præ-  
termissa) teltetur, multa se propter ob-  
stinatam quorundam impudentiam omisisse,  
eag, dumtaxat attigisse, quæ omnibus nota esset,  
neque ipsi vlls improbitate auderent diffiteri.  
Itaque, vt singularis illa prærogatiua fu-  
gillationi futuræ fortassis erat obnoxia,  
videtur hic scriptor hanc ipsam maluisse  
hominum traditioni relinquere, quàm  
licetis eam consignando, reliquam vitæ  
Beati NORBERTI seriem cauillationi  
exponere. Quanquam quid est, quod hic  
quispiam fugillet? cum similia alijs san-  
ctis viris beneficia diuinitus concessa le-  
gamus? Suffecerit vnus S. Hldefonsi, To-  
letani Episcopi exemplum, qui (vt Mar-  
tyrologij Romani verbis vtar) ob singu-  
larem vitæ integritatem susceptamque defensi-  
onem aduersus Hæreticos D. E. I. genitricis  
Virginitatem impugnantes, ab eadem can-  
didissima veste donatus est, ac demùm  
sanctitate celebris in cælum vocatus. Huc et-  
iam facit, quod Deiparam Virginem Pa-  
tronam ac Tutelarem Diuam vniuersus  
Ordo Præmonstratensis agnoscat, suaque  
omnia eidem secundùm Deum ferat ac-  
cepta.

Cæterùm vt & hoc obiter addam, post  
D. Virginem vt Patronos singulares atq;  
apud



apud Deum primarios Intercessores habet hic Ordo S. Iohannem Baptistam, & D. Augustinum, summum illum Ecclesiæ Doctorem; Iohannem Baptistam quidem quod (vt in Breuiario Præmonstrat. legitur) cū B. NORBERTVS Ecclesiam S. Martini Laudunensis certis de causis reliquisset, post varia loca explorata tandem ad locum, qui Præmonstratum, vel Præmonstratus locus vocatur à Bartholomeo Laudunensi Episcopo sit perductus ad Ecclesiam, in honorem DEI & memoriam S. Iohannis Baptistæ constructam, raris tunc incolis inhabitatam: Hæc itaque in dicta Ecclesia B. NORBERTVS, sic tamen, vt ea sedes principalis non manserit, sed ex aliâ parte montis vicini, nouam sibi suisque ædificauerit mansionem. Extat autem hodieq; Sacellum istud S. Iohanni Baptistæ sacrum, haud longè à Præmonstratensi cænobio situm.

De S. Augustini patrocínio nihil opus est dicere, cū omnibus notum sit, Præmonstratenses ex præscripto Regulæ S. Augustini (quam & alii ferè triginta Religiosorum hominum cœtus iam olim amplexi sunt) vitam suâ instituerunt. Quod quidem quanto iudicio suis B. NORBERTVS præscripserit, in historia vitæ eius ca.

*Norbertini  
viam ex  
præscripto  
regula S.  
Augustini.*



24. est videre: vt equidem mirer D. Antoninū in sua historia, & Philippum Bergomatem in supplemento Chronicorum, Norbertino: regulæ Sancti Benedicti adscribere. Maximè quando ipse Diuus Augustinus apparuit, & tradidit regulam suam B. Norberto, vt legitur in vita B. Godefridi Comitis Cappenbergenfis, vt quidem mirer D. Antoninum in sua historia.

Porro candidissimus hic ordo vniuersum penè terrarum orbem, sanctitatis opinione, suiq̄ue instituti monasteriis iam olim compleuit. Non enim in Gallia, Germania, Lotharingia, Belgica, atque Hispania tantum (quibus in Prouinciis etiamnum viget plurimū) sed & in Italia, Sicilia, Cypro, Syria, Illirico, Anglia, Scotia, Hibernia, Noruegia, aliisque regionibus, plurima eaque amplissima habuit monasteria. Quorum quidem catalogum videre si quis volet, eum ipsum Chronico nostro subiunctum inueniet.

Cæterum & in vrbe ipsa Roma S. Alexij domus olim Norbertinæ familię monasterium fuit, Abbatiali titulo insignitū, idque beneficio Gregorii I x. Pont. Max. quam tamen domum hodie Hieronymiani Sodales possident, à Lupo Oliueta-

no,



no, Hispalensi, Generali illius ordinis  
Præfecto, ibidem collocati.

Est autem totius religionis mater &  
caput, Archicœnobium Præmonstraten-  
se, ad quod olim Abbates vniuersi, aut  
ex Prouinciis, seu *Circarijs* singulis duo  
saltem capitulum generale, vt vocant,  
celebraturi Dominica secunda post pa-  
scha conuenire solent. Est que hæc *prima*  
(vt vocant) *Abbatia*: *Secunda* verò est  
Laudunensis D. Martino sacra: *Tertia* au-  
tem Floreffiensis in Diœcesi Namurcensi,  
apud Belgas sita. (Vnde & Abbas Laudu-  
nensis vniuersi Ordinis *Prior*, Floreffien-  
sis verò *Supprior* à quibusdã nominatur)  
*Quarta* verò est Cuißiacensis. Vnde & hi  
quatuor Abbates totius ordinis Patres, vt  
vocant, Abbates nuncupantur. Atque vt  
cæteras omnes Ecclesias Abbas Præmon-  
stratensis visitat ac reformat: sic & Eccle-  
sia Præmonstratensis per tres istos Abba-  
tes Laudunensem, Floreffiensensem & Cuiß-  
iacensem visitari solet.

Fuere autem ordinis huius Prouinciæ  
(quas vulgò *Circarias* vocat) ferè triginta  
& quadringenta amplius virorum mona-  
stera, præter Virginum claustra quam  
plurima. Fuit item nonnullis olim mo-  
nasteriis dignitas Episcopalis annexa: vt

*Primaria a-  
liquot Nor-  
bertina fa-  
milia Ab-  
batia.*

*Prouincia  
ordinis olim  
fuere 430.  
præter Vir-  
ginum clau-  
stra.*

in



in Chronico ad annum millesimum quadringentesimum octogesimum ostendemus; Quæ quidem omnia dignitatem ac præstantiam huius Ordinis com-  
monstrant.

*Ordo Præmonstratensis quo anno cœperit.*

Cæterùm candidi Ordinis huius initium, etsi quidam ad annum Christi 1116. Martinus Polonus ad annū 1119. Nonnulli verò ad annum 1137. Plerique tamen scriptores ad annum 1120. referunt: Ut Robertus Normannus, Abbas Montis Naualis, in appendice ad Chronicon Sigeberti Gemblacensis, Vincentius Beluacensis speculi historialis lib. 26. cap. 28. Ioannes Trithemius in Chronico Hirsaugiensi, Christianus Massæus in Chronicis, alijque. Quibus consonant & versiculi isti Echoini, à multis retrò seculis omnium ore decantati:

*Anno videlicet M. C. XX.*

*Anno milleno, centeno, bis quoque deno,  
In Præmonstrato fundatur Candidus Ordo.*

Cœpit itaque initium Ordo Præmonstratensis anno ut diximus, 1120. qui secundus & vicesimus annus est ab Ordinis Cisterciensis institutione: Quo quidem tempore S. Bernardus pastoralis curæ in Claraualle operam dabat. Porro de familiæ Cisterciensis origine extant & hi versus Echoini, quos etsi rudi illo seculo pa-

riter



riter natos, haud abs re fuerit attexuisse.

*Octauus nonagesimus millesimus annus  
Exstabat, quando cœpit Cistercius Ordo.*

Plura si voles, mi Lector, de ordinis  
Præmonstratensis origine ac progressu:  
Præter Vincentium Beluacensem, Rober-  
tum Abbatem, & Trithemium, supra cita-  
tos, legas & D. Antoniũ in hiltoria sua,  
Iacobum Philippum Bergomatem in  
supplemento Chronicorum, Bartholo-  
mæum Cassanæum in Catalogo Gloriæ  
mundi, Thomam Bozium lib. de notis  
Ecclesiæ, aliosq; Si quæ autem habes præ-  
ter ista à nobis obseruata, (vt plurima va-  
riis in locis adhuc latere non dubito)  
maiozem in modum rogo, vt ea candidè  
nobiscum communicare, in publicum Ec-  
clesiæ ac familiæ NORBERTINÆ bonũ,  
non graueris. Equidem dabo operam, vt  
apud gratum memoremque positum be-  
neficium aliquando agnoscas. Vale

& conatibus hisce nostris  
fauc.

*De ordinis  
huius pro-  
gressu ac  
origine qui  
potissimum  
scripserint.*